

96, 10, c.

## SOLEMNIA

# Gersdorffiana cum Gehlerianis

con juncta

die VI. Decembris MDCCCXLVIII.

hora IX. antemeridiana



in Gymnasii auditorio primae classis habenda

i n d i c i t

**Carolus Godofredus Wiedemann,**

Philos. Doctor et Artium liberal. Magister, preeceptor sup. ord. in Gymnasio Gorlic.

— — —

Praemissa est quaestionis de Patavinitate Liviana Part. I.

---

G o r l i c i i ,

t y p i s D r e s s l e r i a n i s .

YJO  
4 (1848)

# ANNEXE

## Confidentialité des communications

CONFIDENTIEL

SECRET D'ETAT DE LA REPUBLIQUE FEDERALE ALLEMAGNE

Le présent document est destiné à l'information exclusive de l'Etat et ne peut être divulgué à des personnes extérieures à l'administration fédérale allemande. Il est réservé à l'usage exclusif de l'Etat et ne doit pas être communiqué à des personnes extérieures à l'administration fédérale allemande. Il est réservé à l'usage exclusif de l'Etat et ne doit pas être communiqué à des personnes extérieures à l'administration fédérale allemande. Il est réservé à l'usage exclusif de l'Etat et ne doit pas être communiqué à des personnes extérieures à l'administration fédérale allemande.

## Confidentialité publique évoquée

Le présent document est destiné à l'information exclusive de l'Etat et ne peut être divulgué à des personnes extérieures à l'administration fédérale allemande.

Le présent document est destiné à l'information exclusive de l'Etat et ne peut être divulgué à des personnes extérieures à l'administration fédérale allemande. Il est réservé à l'usage exclusif de l'Etat et ne doit pas être communiqué à des personnes extérieures à l'administration fédérale allemande.

Le présent document est destiné à l'information exclusive de l'Etat et ne peut être divulgué à des personnes extérieures à l'administration fédérale allemande.



1971

CONFIDENTIEL



hunc tempore omnia quae de libro sive obitu eius vel morte eius  
vel a mortuorum resurrectione usque ad anniversariam haec annua  
memoriam annis vides continet autem eis omnesque obituarii obitum eius  
eiusdem tempore mortuorum resurrectio et anniversaria obitum eius  
annis datus sed ut non omnia in obitum eius a mortuorum resurrectio  
memoriam annis vides continet autem eis omnesque obitum eius  
eiusdem tempore mortuorum resurrectio et anniversaria obitum eius  
annis datus sed ut non omnia in obitum eius a mortuorum resurrectio  
memoriam annis vides continet autem eis omnesque obitum eius  
eiusdem tempore mortuorum resurrectio et anniversaria obitum eius  
**V**etus et ad nostram aetatem disseminata lis est de Patavinitate Titi Livii, historiarum Romanarum auctoris. Profecta est illa ab Asinio Polione, viro doctissimo magnaenque dignitatis, qui Augusti tempore decessit octogenarius. Cf. Quintilian. Institut. orator. I. c. 19. VIII. c. 1. Bähr, Geschichte der Römischen Literatur, edit. III. P. II. p. 81. Cujus laudes ac merita quum duplicita sint, cum rebus gerendis, tum rebus describendis parta, non deerant viri docti, Benius, Budaeus, Tomasinus, Bouhierius, qui publica quam privata respicere malent: qui hoc nomen de sententiis et partium studio et amore Livii erga Pompejum, cuius amantissimi Patavini et Livius ipse fuisse, interpretarentur. Cf. Bähr I. I. P. II. p. 106. Nititur haec sententia Taciti verbis, qui in Ann. IV, 34. Ch. Pompejum a Tito Livio tantis laudibus elatum esse docet, ut Pompejanum eum Augustus appellaverit. At, si concedimus, multas Pompeji laudes esse repertas in iis, qui interierunt, libris Livii, eo nomine Noster quidem ab Augusto, nec tamen ab Asinio Polione castigari poterat, propterea quod apud eundem Tacitum in eodem libro (IV, 34.) sic est, et ipsa Asinii Pollionis scripta, quae deperierunt, egregiam Pompejanorum memoriam tradidisse. Unde verosimile non est, Pompejanorum laudatorem Pollionem eam ob caussam, quam etiam suam fecerat, Livio succensuisse. Jam quo funditus revertatur haec sententia, improbatur insuper verborum serie apud Quintilianum I. I., qui: „Hic, inquit, non alienum est admonere, ut sint quam minime peregrina et externa.“ Et in T. Livio, mirae facunditatis viro, putat inesse Pollio Asinius quandam Patavinitatem. De sermone igitur Liviano Quintilianus cogitavit certissime, cuius naturam Pollio, qui primam Romae bibliothecam condiderat, qui historiam civilium bellorum inter Caesarem et Pompejum composuerat, qui magnam laudem orationem comparaverat, profecto perspectam habere potuit, ut Romanus, cuius brevitas Attica in dicens, deperditis omnibus privatae gloriae monumentis, adhuc in laude ponatur. Cf. Bähr I. I. II. 81.

Quae quum ita sint, de stylo omnis noster erit sermo nunc, quum parati sumus ad scribendum de Patavinitate Titi Livii, pervetere materia, a Danièle Georgio Morhofio, doctissimo viro, ante ducentos circiter annos pertractata. Hic enim de Patavinitate Liviana primus singularem librum scripsit Kiloni 1685, iterum typis excusum a Drakenborchio in editione sua Titi Livii Lugd. Batav. et Amstelod. 1746. T. VII. p. 27. sqq.

Discedunt vero in duas partes, qui Patavinitatem ad orationem Livianam pertinere arbitrantur. Beatus Morhofius ipse agmen eorum ducit, qui Pollionem, et ipsum historiarum auctorem, malignitate et invidia incensum gloriae adversarii sui obtrectasse dicunt, (cf. Morhof. I. I. c. IV.): urbanitatis enim in verbis et phrasibus indagationem difficilem et incertam esse, si inter veteres auctores comparatio instituatur, (ibid. c. XIV.): non esse intra Romanos carceres istam urbanitatem coercendam, ut nec extra Urbem illa locum invenerit, (ibid. c. XV.): quid igitur esse, quod Patavinitati amplius immoremur? (Ibid. c. XIV.)

At primum indignum mihi esse videtur Asinii meritis atque eruditione, censere, eum ira et invidia motum castigasse Livii orationem, utpote qui etiam Julium Caesarem castigaverit, propterea quod Commentarii ejus parum diligenter parumque integra veritate compositi sint: praesertim quum ad hanc censuram confirmandam insuper Imperatoris Caligulae auctoritas accedat, qui et Virgilii et Titi Livii scripta et imagines ex omnibus bibliothecis amovere studuerit, quorum alterum ut nullius ingenii, minimaeque doctrinae, alterum ut verbosum in historia negligentemque carpebat. Suet. Calig. c. 34. Etenim magnam in Caligula et multifariam doctrinam fuisse Suetonius testis est. Calig. c. 53.

De urbanitatis autem indagatione, quam difficilem appellat Morhofius et incertam, non deest, ne nostris quidem temporibus, gravis et luculentus arbiter. Cicero enim, qui aequalis Livio fuit, imperfectus est a. u. 711., quum Noster juvenis esset sedecim annorum, natus Patavii a. u. 695. Cf. Bähr I. I. P. II. p. 232 et 87. Quem si, quemadmodum se ipsum profitetur de Oratore III, 13, urbanitatis principem, sic tacitum de Livii Patavinitate judicem facimus: non dubium est, quin eo gravior et acerbior ab illo sene hujus juvenis futura sit castigatio. Cf. Cic. Phil. XIII, 19, 43. III, 9. Cicero autem hoc urbanum dicendi genus, in quo merito gloriatur, a puero ab iis didicerat, qui Romae nati, multorum sermonis expertes, ea tenuerunt semper, quae prima didicerant, (de Orat. III, 12.): hoc tanta, quanta nullam unquam humanam vocem, cum admiratione in Hortensio et Cicerone Romani comprobaverunt. Cf. Liv. fragm. in Senecae Suasoria VI.

Denique incorrupta Romana vox, etiamsi non Urbis moenibus, ut rursus Morhofio respondeam, includeretur, „tamen suis finibus, exiguis sane,“ continebatur. Cf. Cicero pro Arch. c. 10. Idque ita esse quicunque Roma in Galliam profectus intelligere poterat: „audiebat enim ibi verba quaedam, non trita Romae: majus est illud, quod recinebat et resonabat in vocibus Romanorum oratorum urbanius: neque hoc in oratoribus modo apparebat, sed etiam in ceteris.“ Cic. Brut. c. 46. Hanc igitur sive rusticam asperitatem sive peregrinam insolentiam a certa voce Remani generis Urbisque propria probe distinguunt et Cicero de Orat. III, 12. et Catullus XXXVI, 19. 20.

His argumentis confisus spero, me operae pretium facturum esse, si, tota ista conjectura de invido et maligno Polione rejecta, investigavero aliorum sententiam virorum doctorum, Cellarii, Erasmi, Scaligeri, Lipsii, qui bono animo Asinii censuram dictam esse statuerunt: de quorum sententiis multus est Morhoffius l. l. c. XVI., denique et ipse suffragatus Cellario, qui Patavinitatem Livianam sic intelligi voluerat, ut essent in Livio quidam Idiotismi, scilicet ἴδια quaedam, quae apud alios non invenirentur. Scaliger ejus dictionem ornatiorem quam latiniorem, Lipsius supinam et frigidam, immo et ταύτολόγον, sententiis quidem bonam, sed non frequentem agnoscit: notat styli inconstantiam Horatius Tursellinus p. 1156. ed. Schwartz.: quocum facit B. G. Niebuhrus ad Ciceron. orationum pro Fontejo et Rabirio fragmenta p. 88.: commemorat de Patavinitate Daniel. Vechnerus in Hellenolex. ed. Heusing. p. 355.

Denuo mota res est nostris temporibus. Kreiznerus enim, Vir Cl., librum singularem edidit de propria orationis Liviana indole, proprio maxime adjectivorum usu, 1845., Progr., in quo sic est scriptum p. 11. „Ut certum sit, hanc Polionis malevolam vituperationem dicendi genus spectare, quod adeo non convenit inter doctos viros, ut, de verbis an rebus intelligendum sit, ambigatur, quod Morhoffii disputatione satis appetet, Liviana oratio integra manet, unius Polionis reprehensione tot sapientissimorum virorum laudibus superata.“

Contra eum pugnat Ferd. Schultzius, V. Cl., in Praefatione libri, qui Latinische Synonymik (1841.) inscribitur, his verbis usus: „Die von seinem Zeitgenossen Asinius Pollio dem Livius vorgerückte Patavinität ist eben so zuverlässig das Urtheil eines richtenden Kenners, und nicht die Mäkelei eines mürrischen Krittlers, als sie nur in jener, wie es scheint, provinziellen Spracheigenthümlichkeit zu suchen ist.“ Quocum consentit doctissimus Krebsius in Antabarbaro, edit. II. p. 9.: „Liyus ist wegen eingemischter Provincialismen vorsichtig zu brauchen.“

Summo igitur consensu viri docti in Livio doctorem, quam latiniorem dictionem, peregrinam, externam reprehendunt. Nam de Niebuhrii vituperatione, in libros, qui perierunt, posteriores, macrologiam cadere et de Lipsii vituperio, orationem Livianam *ταῦτολόγον* esse, i. e. repetitis vocibus dicere, quod semel dixisse satis sit, et propter hanc caussam frigidam fieri et supinam, i. e. otiosam, supervacaneam, redundantem, vix audeo commemorare, quum pleni sint antiquorum libri, pleni recentiorum, laudibus ob candorem clarissimum, ob miram in narrando jucunditatem, ob concionum, supra quam enarrari possit, eloquentiam. Cf. Quintilian. Instit. orat. X, 1, 32 et 101. Parreidt, de lactea Livii ubertate, Lips. 1746. Bähr I. I. P. II. p. 101.

Restant itaque peregrina et externa, quae, Patavinitatis nomine collecta, Livii dictionem doctorem, quam latiniorem fecisse dicuntur: de quibus nunc deinceps disputabimus, paullulum in Gallis Cisalpinis morati: nam incolarum natura naturam etiam linguae Livianae optime explicabit.

Variis autem populis mixti erant Galli Cisalpini: potentissimi tamen in his locis Ligures et Galli regnaverant. Cf. B. G. Niebuhr, Römische Geschichte, ed. II. P. I. p. 167. et P. II, p. 581. Liv. V, 34. 35. XXXIX, 1. Epit. XX. Sero autem, brevi ante secundum bellum Punicum hi populi a Romanis primum victi sunt. Liv. Epit. XX. et Freinsheim. Suppl. Rebellantes saepius colonis missis et armis sensim ita fracti sunt, ut et imperio Romanorum et linguae eorum adsuescerent. Nihilominus tamen remanserunt his locis vel ad Ciceronis tempus verba quaedam non trita Romae, et titubasse videntur Galli, quum Romanos imitarentur. Cf. Cic. Brut. 46., pro Arch. 10.

Galli vero isti Cisalpini circum claudebantur a duobus populis, qui antiquitus in haec loca appulerant navibus, a Phocaeis et Venetis: illi ad inferum, hi ad superum mare habitabant, cf. Liv. I, 1. V, 34.: illi Massiliam, hi Patavium, Antenoris cognominatum, condiderunt. Utrumque populum moribus et lingua a reliquis accolis abhorruisse, inter omnes constat. Primum enim angulus Venetorum, qui sinum circumcoluerunt maris superi, diserte excipitur et a Tuscorum urbibus duodecim, quae ante Gallorum adventum trans Apenninum floruisse dicuntur, et a Gallis accolis, qui Patavinos semper in armis habebant. Liv. V, 33. X, 2. Phocaeos autem, Massiliae conditores, Valerius Maximus, qui Tiberii tempore fuit, adhuc usurpasse discipline gravitatem, prisci moris observantiam testatus est, II, 6, 7. coll. Liv. XXXVIII, 17. — Porro de lingua verosimile est, Graecos Massilienses graece locutos esse, Patavinos autem graecae linguae non ignaros fuisse. Nam Junonis templum Patavii erat, graecae deae,

ut docet Livius X, 2., et Diomedis cultus, graeci herois, ut docet G. B. Schirach Observationes de Henetis, Venedis atque Vandalis §. 5. p. 8. Tum Virgilius annuit Aeneid. III, 105 sqq. Trojanos Antenoremque, Patavii conditores, a Teucro Cretensi oriundos esse. Cretam autem graeci populi antiquitus incoluerunt : testis est Homerus Odyss. XIX, 175. sqq. Deinde hospitia vetera Paridis, Ulyssis, Diomedis, variaque commercia in bello et pace utriusque populi, de linguae etiam notitia conjecturam admittunt, Patavinos Graecae linguae, ut parum dicam, certe nou expertes fuisse. Cf. Schirach I. I. §. 5. p. 8. Ersch et Gruber Allgemeine Encyclopaedie, Sect. II. P. V. p. 302. s. v. Heneter. Quid? quod Franciscus Pubitschka, qui de Venedis, Vinidis seu Winidis, itemque de Enetis, Henetis seu Venetis veteribus scripsit, Fol. XXIX. nominat duas voces, Venetis proprias? quarum alteram Cotoneam conservavit Plinius, alteram Bebeecos Hesychius. Plin. N. H. XXVI, 7. ed. Harduin. Fréret Dissert. V. Parte IX. ab Academ. Paris. edita. Illa, quae est herba, consolida major, Schwarzwurz, ex insula Creta advepta esse et a Cydone urbe appellata videtur, unde etiam „mala cotonea“ (Quitten), quae a Graecis vulgo cydonia dicuntur, Romanis venerunt. Plin. N. H. XV, 11. Haec vox ut iterum Cretam reducit, sic cum romana pronuntiatione u literae aeolicae congruit: sic enim ὄνυμα - ὄνομα - nomen, μύλη - mola, Φύλλον - folium formata sunt. Antiquitus autem haec cretensis vox et Patavium et Romam pervenisse videtur. Manifesto graeca est altera: Βεβηρώς. Nam quum Veneti sic Padum fluvium dixerunt nomine, quod significat: progressum, quid aptius illo flumini appellando excogitari potest? Postremo Polybii verba II, 14. Οὐένετοι τοῖς μὲν ἐθεσι καὶ τῷ κόσμῳ βραχὺ διαφέρουτες Κελτῶν, γλώττῃ δ' αλλοία χρώμενοι sic interpretor, ut etiamsi non definiverit, qua lingua sive dialecto prisci Heneti usi sint, eos tamen graecam usurpasse autem.

His rebus, quas modo investigasse videmur, efficitur, ista ἴδια, peregrina et externa, quae doctissimi viri cadere in Livium affirment, cum graeci, tum provincialis sermonis vestigia esse, largius, quam quae urbanis auribus placuerint, disseminata per Livianos annales: utraque contineri Patavinitate Liviana. Quo vero rectius hanc decantatam vocem explicuisse videar, consensus quidam efficit, qui inter Livium et reliquos Gallos, Vitruvium, Cornelium Nepotem, Catullum, Plinium majorem Veronenses, Virgilium Mantuanum, Plinium minorem Novocomensem reperitur. His adnumerandus est Julius Caesar, qui decem annos in Galliis commoratus est. Inter quos viros omnes ut patriae, sic dictionis vinculum est. Namque a provinciali sermonis libertate atque ubertate profecti graecis literis, quarum amatores Massilia, Mediolanum et, ut equi-

dem arbitror, Patavium reddiderat Gallos, (Strab. IV, p. 9. Plin. Epist. IV, 13.), quam usu et consuetudine urbana, dominos et scelera et adulaciones aversati, sese exercebant, nemo illarum studiosior, hujus negligentior, quam Livius Patavinus. Quare quum Caesar et Virgilius negligentiae accusarentur, hic Patavinitatis criminis accusatus est: reliqui casu aut tempore vituperationem effugerunt.

Hac vero Patavinitatis expositione nostra ad graeci sermonis vestigia apud Livium, quae primum videamus, aditus quidam quasi munitus est: cernuntur ea maxime graeca latinorum vocabulorum sive significatione, sive constructione. Nam praeter ea nomina graeca, quae Vechmerus Hellenolexia sua p. 5. — 23. ed. Heusing. admisceri praecepit latinis carminibus docuit, Livius, non contentus iis limitibus, quibus poetae linguam urbanam temperatam esse voluerunt, his vocibus usus est, quas Cicero in primis sedulo vitavit. Minoris facio emporium (Xenoph. Anab. I, 4, 6.), quod multis locis legitur, XXI, 57. XXVIII, 6., et androgynos, natos ambiguo inter marem ac feminam sexu infantes, XXVII, 11., et Philippeos et cistophoros XXXVII, 46. XXXIX, 6., et gymnasium XXXIV, 26.: nam hae voces et technicæ et apud alios interdum sunt: neque offendit Martiis viris, utpote in concione XXXVIII, 17., nam Romuli prolem lubenter ἀνδρας Ἀγηός appellabant poetae, Ovidius Fast. III, 59. Metam. XIV, 798. Illud majus est, quod Livius scripsit „L. Scipioni Asiageni“ pro Asiatico XXXIX, 44. init., quod dixit „pars Megalopolin perfugunt“ XXXV, 36. extr. ed. Bekker., pro Megalopolim, quam reservavit Drakenborchius. Tacebo enim de „senatu castiganda“ III, 19., quam defendit Naunius ap. Drakenb., ut sit senatus βουλῆς instar. Sed a Graecis assumpsit Livius, ut docet Gronovius, minutus XXI, 52. „tamen consul alter equestri proelio uno et vulnere suo minutus,“ sive proelio et vulnere debilitatum consulem, sive spe dejectum esse interpreteris: nam Homerius Odyss. IV, 374. dicit: μινύθει δέ τοι ἥτορ ἐταίρων, animo cadunt socii, et Apollon. I, 285. σεῖο πόθῳ μινύθουσα δυτάμυορος, desiderio tuo fracta infelix. Porro in Livi verbis II, 16. „Attius Clausus cum pacis ipse auctor a turbatoribus belli premeretur“, turbatores belli sunt ejus auctores, quod alterum Graevius pro vulgato substituere voluit. Sunt vero turbatores belli, qui turbando bellum moveant, quemadmodum apud Graecos est: ταράσσειν στάσεις καὶ πολέμους. Vide Raschigium, doctum virum in primis ad h. l. in ed. Bekker. Adde saeculum ap. Liv. IX, 18, 10. „quum ex hac parte saecula plura numerentur, quam ex illa anni.“ Saeculum significat γενεάν, Menschenalter, quo sensu Virgilius Georg. II, 295. „multa virum saecula,“ et Catullus LXVIII, 43. „seclis obliviouscentibus“ scripsit. Livius utrumque supera-

vit audacia, absoluto usu suo egregrie interpretes ludificatus. Cf. Drakenb. ad Liv. I. l. A graeco ducta est clades II, 13.: „a clade dextrae manus“ est h. l. pro: ab amissa dextra manu: apud Ciceronem est saepe pro amissio proelio, quum Livius hoc sensu „cladem pugnae accipere“ II, 51. dicat, ad originem graecam respiciens in clade, sive ad κλάω, frango, sive ad κλαδάω, ramos deputo: legitur pro „amissu“ Nepotis Alcib. 6. et „ammissione“ Ciceronis etiam ap. Liv. I, 15. II, 36. X, 36. XXVIII, 24. init. In formula XXII, 3., „postquam ferri agique vidit,“ sequitur Liv. graecam Φέρειν καὶ ἄγειν: ferre ad res inanimatas, agere ad pecudes refertur. Cf. Stroth. ad h. l. Tum facere et fieri XXII, 10. quemadmodum Graecorum ζέλειν simpliciter de sacrificiis dicitur. Forte quadam divinitus I, 4. eodem modo dici, atque a Gracis θείᾳ τινὶ τύχῃ, quoniam fors ipsa denique deorum numini tribuitur, monet Gronovius I. l. Sequitur conspectus elatusque supra modum“ IV, 13, 3. Conspectus hic est περιβλεπτος, itemque XXI, 4. „arma atque equi conspiciebantur.“ Dictum est more Euripidis Phoen. 560. τὸ δὲ περιβλεπται, τίμιον; Eodeum modo Nepos Attic. 13, 5. „ut in neutram partem conspici posset,“ dixit. Apud Livium est: „profectusque decimis castris peruenit ad Iberum flumen“ XXVIII, 33., „septuagesimis castris“ ibid. 16., „tertiis castris“ XXXVIII, 24., et ap. Caesar. B. G. VII, 36. „quintis castris.“ Scripserunt sic hi Romani, qui alibi itinera diebus metiebantur (Caes. B. G. VI, 25.) Graecos imitati: nam Graeci intinera σταθμοῖς definiebant. Exempla multa sunt ap. Xenoph. Anab. II, 4, 12. alibi. Adjungo his occupare, quod apud Nostrum non raro Φθάνειν significat, v. c. I, 14. „occupant bellum facere,“ ibid. c. 30. „occupat Tullus in agrum Sabinum transire,“ XXXI, 35. II, 48. Quae discrepancia fuerat inter occupare et Φθάνειν, nempe participium ap. Graecos, infinitivum ap. Latinos adjungi, eam Wytenbach. Epist. crit. p. 181. removit eo, quod docuit, nonnunquam pro participio infinitivum etiam apud Graecos reperiri. Plinius Panegyrico 10. hanc ejus vim sic illustravit: „ille occupavit, primusque fecit.“ Postremo colloco II, 19. „nec fefellit veniens Tusculanum ducem,“ XXXI, 38. „quum abire inde et fallere abiens hostem vellet,“ XXV, 9. „ne quis agrestium procul spectator agminis falleret,“ coll. VIII, 20. Fallere est graecum λανθάνειν, quod adverbii vice fungitur, quotiescumque participio junctum est: ἐλαθε προξιών, ἀπιών, ὥν. Latina vis vocabuli reperitur XXII, 16. „ne Hannibalem fefellit, suis se artibus peti,“ et alibi.

Nominibus derelictis festinamus ad praepositiones: multa et hic de Graecia intulit Livius. Graeci, imprimis Attici, pariter εἰς pro ἐν usurpabant, neglecto discriminē, quod grammatici inter utrumque esse constituerunt. Quod sive ut

plebi placerent, sive vitiata constructione risum moverent, comici diligenter imitabantur. Sic Plautus Amphitr. I, 1, 25. servum loquentem facit: „mihi in mente m fuit“: irridet sic lepide jurisconsultorum formulas, veluti „in protestam esse“ Liv. II, 14. XXIV, 1., „in custodiam habere“ XXII, 25. Recte igitur cavent viri docti, ne in vindicanda hac forma nimii simus, Drakenborchius ad Liv. II, 14. et Zumptius Gramm. lat. §. 316., praesertim quum satis larga sit copia exemplorum, in quibus haec insolentia, quae ab optimis Livii codd. probetur, deserri nequeat. Ejusmodi est: „in animum habere“ XXXIII, 10., „in conspectu venire VII, 40. ibique Drakenb., „illud nec tibi in me neu mihi in minoribus natu animi sit“ XXVIII, 43. ibique Drakenb., „omnia quidem ut posses in nobis di dederunt“ XXX, 12. Plura qui exempla desideret, is adeat Drakenb. ad Liv. XXVIII, 43, 8.

Horatius Tursellinus de Partic. lat. orat. ed. Schwartz. p. 177. observavit, circa, de tempore. sequioris aevi esse: invenitur tamen ap. Livium XLII, 57. „circa eandem horam.“ Xenoph. Anab. I, 10, 17. sic usus et  $\tau\alpha\tilde{\nu}$   $\alpha\mu\phi\acute{i}$ ,  $\kappa\alpha\tilde{l}$   $\alpha\phi\kappa\nu\omega\gamma\tau\alpha\tilde{l}$   $\alpha\mu\phi\acute{i}$   $\delta\circ\varrho\pi\iota\sigma\tau\alpha\tilde{l}$ , et adveniunt sub coenae tempus. Rarum etiam est et ex imitatione graeca ortum circa de numero vel mensura apud Livium XXXVII, 42., „circa quingentos victores ceciderunt“ et XLV, 34. „ea fuere oppida circa septuaginta.“ Xenoph. Anab. I, 2, 9.  $\pi\epsilon\lambda\tau\alpha\sigma\tau\alpha\tilde{l}$   $\delta\epsilon$   $\alpha\mu\phi\acute{i}$   $\tau\alpha\tilde{\nu}\varsigma$   $\delta\iota\sigma\chi\iota\lambda\iota\omega\varsigma$ , peltastae vero circiter duo millia. Cf. Vigerum de praecipuis graecae dictio. idiotismis, ed. III. p. 573. Cicero ad praepositionem pro circiter de numero usurpat ad Q. fr. ep. II, 1. „sane frequentes fuimus omnino ad ducentos,“ qua etiam Livius usus est, e. c. XXX, 19. et XXVIII, 34. Altero tamen Livii loco, quo sic scriptum est: „Romani sociique ad mille ducenti ceciderunt,“ ad particula, deposita praepositionis potestate, in verum adverbium abiit. Cf. Fabrius ad. Liv. XXII, 54. init. Sed revertendum est ad vocem circa, quae ap. Livium adjectivi loco est, ut apud Graecos  $\delta\alpha\mu\phi\acute{i}$ : explicatus ea voce utitur I, 4. „montibus qui circa sunt,“ qua in re cum eo consentit Nepos Eum. 10. „sed non passi sunt, qui circa erant,“  $\delta\iota\alpha\mu\phi\acute{i}$   $\gamma\eta$   $\pi\epsilon\varrho\iota$   $\alpha\gamma\tau\alpha\tilde{l}\nu$ , ministri ejus: strictius eam vocem introduxit XXIX, 29. „Scipio non agros modo circa vastavit,“ I, 17. „multarum circa civitatum irritatis animis,“ XXI, 11. „quum circa omnia hostium essent,“ I, 4. „venando peragrare circa saltus,“ ad quem locum Lipsius apposuit: more Livii saltus, qui vicini, qui circa suat. Posteriorem usum graecum etiam Virgilius sequitur, cum in hoc ipso vocabulo, Aen. XI<sup>1</sup>, 757. „Ripae lacusque responsant circa,“ tum in vocabulo ante, Aen. I, 198. „neque enim ignari sumus ante malorum,“ i. e. priorum malorum. Circa apud Ciceronem

nonnisi de locis aut personis usurpat. Própterea Horatius Tursellinus, cuius haec est observatio I. I. s. v. Ciceronis locum, ad famil. IX, 15. „intellexi, pergratum tibi esse animum meum perspectum circa curam valetudinis tuae,“ quod singularis esset, jure suspectum habuit, qui nunc sic expressus est in Oreliana editione : „Intellexi, pergratam tibi (esse curam meam valetudinis tuae, animumque erga te meum, quem tibi) perspectum esse gaudeo.“ Ad alias enim res, praeter loca et personas, „circa“ a Tacito demum accommodatur in nota formula : „publica circa bonas artes sociordia.“ Ann. XI, 15, 2.

Devenimus nunc ad praepositionem ab, quae caussam denotat, ut sit propter, e. gr. „inopi tum urbe ab longinqua obsidione“ I, 14., „ab ira“ XXIV, 30., „ab odio“ VI, 4., „ab desperatione“ VI, 3., „puero ab inopia Egerio inditum nomen“ I, 34., „Sabini feroce ab re priore anno bene gesta“ III, 61. extr., „Opuntii quoque ab eadem ira increpiti“ XXVIII, 7. Admodum frequens ubivis ap. Liv. haec constructio est, quam ex graeco sermone ortam dixerim. Graeci enim ἀπό causae efficientis potestate adhibent non solum de affectu, v. c. ἀπὸ τῆς χαρᾶς, prae gaudio, sed de aliis etiam rebus, v. c. ἀπὸ τῆς ἄγαν ἀκρασίας, prae nimia impotentia. De quo usu cfr. Viger. I. I. p. 58. ibique Herm. Cicero autem hunc dicendi morem recusavit. Cf. Zumpt. §. 305. extr. et Fabrius ad Liv. XXI, 36, 7.

Porro intus, quod praepositionis loco introductum est a Plauto, Mil. II, 6, 55. „continuo vide, sitne ista haec vestra intus domum,“ vocabulum profanatum isto modo, Livius sacris restituit XXVII, 11. „intus cellam aedis Fortis Fortunae de capite signum prolapsum.“ Eo enim Homerus non nisi de diis usus est, Διός ἐνδον, Ζεφύροιο ἐνδον, intus templum Jovis, Zephyri, Jl. XX, 15. XXIII, 200.

Haud ab re duco paucia etiam conjunctionum vestigia proferre graeca : non solum (tantum, modo), sed (verum) etiam fere semper scripsit Cicero, Livius autem fere semper omisit τὸ etiam, Graecorum οὐ μόνον ἀλλά imitatus. Cf. ap. Viger. I. I. Herm. adnot. p. 522. Sic vero est ap. Liv. I, 4. „jam non feras tantum subsistere (earum impetum sustinere), sed in latrones — impetus facere:“ I, 10. „nec domi tantum indignationes continebant (servabant, continuabant), sed congregabant undique ad T. Tatium:“ XXII, 9. „non copia solum omnis generis frugum abundantem, sed refertum praeda:“ III, 36. „multiplicatus terror non insimis solum, sed primoribus patrum“, et alibi. Discrimini autem, quod viri docti inter plenam et curtatam formulam esse voluerunt apud Ciceronem, quem modo, raro quidem, omisso τὸ etiam diximus, (e. c. Epist. ad famil. I, 6. „qui omnibus negotiis non interfuit solum, sed

[sed et Lamb.] praefuit), ei subscribere non possum in Livii gratiam. Cf. Goerenz ad Cic. de legg. II, 7., Bremius ad Nepot. Cim. 4. Attic. 20. Correctio nem enim significari per „sed“ et majus et gravius opponi membro priori dictant. At correctio nulla est in iis locis Livianis, quos attuli et contuli, omibus, immo congruit haec breviloquentia cum moribus ejus, qui tamen post „nec“ sive „neque“ post „quamquam“ „etsi“ „licet“ „ut“ omiserit, II, 55. „quorum consulatus popularis sine ulla patrum injuria, nec (tamen) sine offensione fuit,“ V, 12. „oppida oppugnata nec (tamen) obsessa sunt,“ III, 59. „neque erat dubium, quin“ etc. pro „nec tamen erat“ etc., coll. interpp. ad h. l., XXII, 20. „Romani, quamquam terra hostium erat, haud cunctanter (tamen) insecuri omnes naves in altum extraxere,“ coll. Drakenb. ad h. l.: qui ejecerit magis vel potius passim ante „quam“ XXVIII, 44. „Carthago praemium victoriae erit quam semiruta Bruttiorum castella,“ II, 23. extr. „concitatos animos flecti quam frangi putabat cum tutius tum facilius esse,“ coll. Drakenb. ad Liv. XXXIV, 49, 10. et Herm. ad Viger. I. l. p. 409.: qui „praeterquam“ omissio quod dicat XXII, 53. „quod malum, praeterquam atrox,“ coll. Gronov., Drakenb. et Fabrio ad h. l.: qui post ante „quam,, reticeat VII, 18. „quadringentesimo anno quam urbs Romana condita erat,“ coll. Drakenb. ad h. l.: qui ac inter „simul“ „primum“ deleverit V<sup>1</sup>, 1. „simul primum (Fabius) magistratu abiit, dicta dies est,“ et XXXV, 44. — Quod autem scribunt viri docti majus et gravius quidpiam opponi membro priori per „sed“ illud superfluum certe est. Nam ejusmodi est natura particularum, „non solum“ et „non tantum,“ ut ubique contineant locorum adscensum ad graviorem rem, nusquam ad viliores descensum; adscensus et descensus significantur per „non modo,“ descensus Liv. I, 20. „nec coelestes modo ceremonias, sed justa quoque funebria,“ adscensus XXVIII, 12. „disparem autem, quod Hispania non quam Italia modo, sed quam ulla pars terrarum bello reparando aptior erat.“ Ceterum in his etiam formulis modo, solum, tantum, ut a Graecis *μόνον*, omittuntur, v. c. XXVIII, 11. „ita ut non praeda, sed armati quoque in periculo fuerint.“ Cf. Drakenb. et Raschig. ad h. l., Fabrius ad Liv. XXI, 41, 16., Viger. I. l. p. 458., Passov. Lexic. s. v. *μόνον*.

A Graecis recepit adverbium nihil aliud quam, quod respondet graeco οὐδὲν ἄλλο τι. Est ellipsis, orta ab omissio verbo „fecit“ sive „egit,“ II, 32. „ventrem nihil aliud (facere) quam datis voluptatibus frui: Ciceroni abjudicatur: significat tantummodo. Cf. Hor. Tursellin. p. 585 Plene scripsit Nepos Hann. 10, 1. „neque aliud quidquam egit, quam regem armavit,“ idem elliptice Ages. 2, 5. „contra ea Tissaphernes nihil aliud quam bellum comparavit,“ et Noster

XXIII, 3. „nihil aliud quam ad audienda probra nominatos,“ II, 8. „nihil aliud ad eum nuntium a proposito aversus, quam“ etc. Cf. Kreizner, I. l. p. 12. et Zumpt. Gr. I. §. 771.

Ex eodem gracco fonte fluxerunt hae adverbiorum geminationes: I, 44. inde deinceps, quae expressa est ad graecam ἐνθα δ' ἐπειτα Homeri Odyss. VII, 196. coll. Vechner, I. l. p. 158., itaque ergo I, 25. XXVIII, 12. „und so also,“ in transitu ad rem diu exspectatam gravissimamque, cui inservit ως δ μὲν δ' υτως, Od. XIX, 300., pro qua geminatione etiam est: ita sic ap. Liv. II, 10. et ap. Homer. ως δ' α' υτως Od. IX, 31. et alibi, tum demum sive tum deinde in graviore apodosi II, 29. init., II. 8., quae respondent graecae geminationi δη τότ' επειτα. Cf. Fabrius ad Liv. XXI, 11, 8.

Longum autem est, neque huic operae accommodatum, pluribus verbis probare, quod satis apparere ex iis, quae attuli, arbitror, graecum quarundam latinarum vocum usum esse apud Livium. Itaque ad propositum redeo, ut pauca denique constructionis graecae afferam exempla: pauca, quia hic locus infinitus fere est. Incipiendum esse videtur a participio futuri activi, cui consilium sive finis inest, v. c. „Perseus rediit, belli caussam de integro tentatus,“ Liv. XLII, 62., pro: ut belli caussam de integro tentaret. Haec constructio est graeca, secundum Matthiaeum in Gramm. gr. §. 568, 6. Madvigi, V. Cl., qui hanc rem attigit in Grammat. lat. ed. II. p. 399. adnotat. 5., Ciceronem ita scripsisse negavit. Livius autem non modo saepe sic loquitur, sed etiam ad idem partici-  
pium adjicit ut adverbium, quod respondet graeco ως, ut unice graecam hanc structuram reddat. „Inde in Formianum, ut ab Cajeta navim consensurus, proficiscitur.“ Cff. fragm. Livii ex Seneca patre, Suasor. VI. et Matthiaeum, Gramm. gr. §. 566, 6. Fabrius ap Liv. XXI, 18, 5.

Neque hic tacite praetermittenda est graeca constructio XXII, 12. „ceterum tacita cura animum incensus, et haec XXIX, 18. „religio infixa animos,“ praeter solitam III, 71. „res memoriae infixa,“ denique haec XXI, 24. „circumspectans sollicitusque omnia.“ Cicero adstruit sollicito praepositionem de cum sexto casu: sollicitum esse de re, Epist. ad div. XVI, 1. Alia hujusmodi exempla vide ap. Drakenborch. ad Liv. XXI, 34, 5. et ap. Kreizner, Progr. p. 9.

Devenimus nunc ad praepositionem cum in militum itineribus graeco exemplo omissam: I, 14. „egressus omnibus copiis,“ II, 16. „consules infesto exercitu in agrum Sabinum profecti,“ I, 25., II. 9., XXVIII, 13. De qua ellipsi conferas Drakenb. ad XXII, 9. Julius Caesar saepe sic loquitur B. G. II, 7.

„ad castra Caesaris omnibus copiis contenderunt“ ibid. c. 19. et 33., IV, 24. V. 49. B. C. I, 63.: sic scripsit Cornelius Nepos de Regg. 1, 3. „maximis exercitibus bellum intulit Graeciae“: uterque tamen nonnunquam cum praepositionem addidit, ille B. G. I, 26. 38. „Ariovistum cum suis omnibus copiis — contendere“ B. C. I, 19., hic Themist. 2, 4. „cum tantis copiis invasit.“ Cicero autem, cui nolenti Epist. ad famil. VIII, 15. obtruserant hanc ellipsim, eam respuit: „eo nunc cum cohortibus mihi per nives eundum est.“ Constanter igitur ea Livio soli vindicabitur. Neque aliter Xenoph. Atheniensis locutus est Anab. I, 7, 14. ἐντεῦθιν δὲ Κῦρος ἐξελαύνει στραθμὸν ἔνα — συντεταγμένῳ τῷ στρατεύματι παντὶ, καὶ τῷ ἑλληνικῷ καὶ τῷ βαρβαρικῷ. Ex quo loco id etiam discimus, et Xenophontem et Livium in qualicunque adjectivo ad exercitum seu στρατεύμα apposito omissoe solam conjunctionem, sed in iis locis, ubi illud defuerit, insuper etiam exercitum et στρατεύμα ejecisse, et absolute collocasse illum ducere pro ducere exercitum, hunc ἐλαύνειν pro στρατεύμα ἐλαύνειν. Plura exempla sunt ap. Xenoph. Anab. I, 4., apud Livium I, 23. II, 39. XXII, 18. XXXII, 6. coll. Drakenb. ad Liv. I, 14. Cui similis est ellipsis in movere, sc. signa, Liv. XXV, 9, „quarta vigilia noctis signa movit.“ Deest autem hoc objectum XXIII, 1. „confestim ex Apulia in Samnium moverat“ XXV, 9. „Hannibalem castris non movisse,“ XXVII, 39. „movere ex hibernis,“ et XXXI, 23. „primis tenebris movit,“ ubi classis cogitando adjicienda est.

Sequuntur ii loci, in quibus conjunctio quum cum infinitivo historico, quem vocant, conjuncta est. Qua ratione saepe ἐπεί cum infinitivo modo conjungitur: isque usus Herodoto familiaris est, coll. Viger. de praecip. graecae dictionis idiomatis ed. III. p. 399. Sic est apud Livium II, 27. „Fusis Auruncis vitor tot intra paucos dies bellis Romanus promissa consulis fidemque senatus expectabat, quum Appius, et insita superbia animo, et ut collegae vanam faceret fidem, quam asperrime poterat, jus de creditis pecuniis dicere“: sic infra IV, 51. med., IV, 27. med., et alibi. Unicus Tacitus, qui, quum praetura se abdicavisset, diu in Galliae confiniis latebat, (Bähr, Gesch. d. Röm. Liter. P. II. p. 130. ed. III.), Nostrum in hac structura sequi ausus est in Annal. XIV, 5. „nec multum erat progressa navis, quum dato signo ruere tectum loci. Cf. Zumpt. Gr. lat. §. 582.

Postremo colloco traditur, proditur, creditur, et quae sunt id genus alia. Haec passim apud Livium ad imitationem Graecorum cum accusativo et infinitivo conjungi docet Drakenborchius ad Liv. XXX, 8. In libr. I. c. 55. sic est: „Inter principia condendi hujus operis movisse numen ad indicandam

tanti imperii molem traditur deos,“ pro dii traduntur movisse numen, sive significasse voluntatem suam. Cornelius Nepos Paus. c. 5. cum eo sentit: Dicitur eo tempore matrem Pausiae vixisse, eamque, jam magno natu, postquam de scelere filii comperit, in primis ad filium claudendum lapidem ad introitum aedis attulisse.“ Bremius ad h. l. addit.: „allein bei guten Schriftstellern findet sich dieses nur sehr selten und verdient keine Nachahmung.

Hucusque conati sumus probare paucis quibusdam exemplis, qua ratione Livius latinorum vocabulorum cum graeco significatu, tum graeca eorum junctura inopiae Romanae opitulatus sit: quod certe nec fecisset, nec potuisset, nisi graecam linguam ita dilectam et cognitam habuisse, ut ei invito illae voces et constructiones exciderent. A patriae vero amore, unde illa graeca sata dixeris, inde etiam nata est haec provincialis insolentia verborum, constructionum, declinationum. De quibus alio tempore exponam, si Deus vitam suppeditaverit: nam modus rebus adhibendus est, sunt certi denique fines.

Restat unum, ut indicamus solemnia sacra Amplissimae Matronae Christianae Ludovicæ de Gersdorf, natae ab Hohberg, et Viro Amplissimo Carolo Gehlero, beneficentia de nostro gymnasio meritissimis: quorum memoriam erastino die pie celebraturi sumus hac ratione:

ut primum ipse disseram sermone patro d'emythorum definitione, origine, partitione et utilitate, deinde duo juvenes, beneficii Gersdorffiani participes, prodeant,

Fridericus Feodorus de Ohnesorge, civis primae classis, de immortalitatis persuasione ad virtutem nostram efficacissima latine dicturus, et

Ludovicus Wolfius Wigandus de Gersdorf, tertiae classis discipulus, Horatii sententiam (Odar. III, 29, 29. sq.): Prudens futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit deus, germanica lingua expositurus.

Ad quas orationes audiendas gymnasii patronos civitatisque antistites, ecclesiarum et scholarum ministros, omnesque rei scholasticae fautores qua decet reverentia invitamus.

P. P. die V. Dec. MDCCCXLVIII.



© The Tiffen Company, 2007

# TIFFEN® Gray Scale

